

QUÆSTIO LXII.

DISPUTATIO XXIV.

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM,
QUI EST GRATIA.

ARTICULUS I.

*Utrum sacramenta sint causa
gratiæ?*

I. Prima conclusio: Necessè est dicere, quod sacramenta novæ legis per aliquem modum gratiam causent, si quidem per ea incorporamur Christo: sunt ergo causa hujus incorporationis, et consequenter gratiæ in Christo. Unde dicit Apostolus Gal. III: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.*

II. Secunda conclusio: Non sufficit ut sacramenta dicantur causa gratiæ, quod illis adhibitis Deus gratiam operetur, cum hoc non transcendat rationem signi, et sic non transcenderent sacramenta novæ legis antiqua sacramenta.

III. Tertia conclusio: Sacramenta sunt causæ gratiæ instrumentales, non principales.

IV. Licet de ratione sacramenti non sit causare, ut supra quæstione

LX, articulo primo, late explicatum est, constat tamen non esse extra rationem sacramenti esse causam rei sacræ, cum unum ex analogatis hujus nominis sacramentum, sit esse causam rei sacræ. Quia tamen in præsentī tractatu sacramenta, de quibus loquimur, habent pro genere rationem signi, et consequenter pro specifica differentia habent aliquid ad rationem signi pertinens, et in eo inclusum, sicut differentia includitur in genere; ideo S. Thomas supponens sacramenta novæ legis esse essentialiter signa, et talia signa (scilicet, significantia expresse gratiam præsentem et Christum, etc.) inquiri in præsentī, an ex eminentia talium sacramentorum, quæ participant virtutem Christi, et applicant satisfactionem meritorum ejus, habeant ultra rationem signi (quod essentialiter constituit sacramentum) rationem causæ; ita quod non solum illam significant, sed etiam causent.

V. Et quia significatio, si sit practica, includit aliquid causalitatis, saltem tamquam conditio; sicut pactum de danda pecunia, aut ordinatio regis causa est eam dandi, tamquam conditio ad id requisita; ideo S. Thomas loqui se fatetur non solum de eo, quod est causa ut con-

ditio, sed quod est causa influens, et proprie causa. Et in hoc sensu affirmant sacramenta esse causas gratiæ (videlicet proprie) et habentia influxum in effectum, non tamen ut causa principalis (hoc est, quæ operetur per formam sibi propriam) sed ut instrumentalis, quæ operetur per motum causæ principalis. Circa hunc articulum plures sunt difficultates, quas specialiter oportet examinare.

DUBIUM PRIMUM

Circa primam conclusionem.

AN SACRAMENTA CAUSENT GRATIAM,
ET AN HOC SIT DE FIDE?

Conclusio est affirmativa.

VI. Pro hujus intelligentia est advertendum, ad justificationem nostram tria concurrere, quæ ad præsens faciunt. Primum et principalissimum est Deus infundens et efficiens gratiam: secundum est mediator seu redemptor, in cujus fide, et per cujus derivationem gratia ista venit ad nos: *Quia de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, Joan. I: tertium est dispositio nostra ut gratiam istam recipiamus, et applicetur nobis gratiam per Jesum.

VII. Et has tres causas, sic in communi loquendo, hæretici etiam admittunt; sed in illis explicandis longe erant. Nam ex parte dispositionis nostræ solam fidem requirunt; illam videlicet quæ est cum fiducia certa de divina promissione, per quam tamquam per manum dicunt acquiri nobis justitiam. Ex parte vero Christi ponunt ipsum taliter satisfecisse, et ex tunc applicasse nobis merita, ut nullis sacramentis indigeamus, quæ virtute ipsius nobis applicent ejus merita;

sed sola fide, qua credimus in eum, qui justificat impium, gratiam nobis acquiri per Christum, eaque fide tegi omnia peccata nostra. Quare sacramenta solum dicunt deservire tamquam objecta, seu signa quædam excitantia nobis fidem in Christum, licet ut conjuncta cum fide dicant ea esse causas instrumentales, ut sic celare videantur hæresim suam, et simplices decipiant. Denique ex parte Dei aiunt nullum habituale donum nobis intrinsecum ab eo dari, quo justus simus; sed ipsa Dei justitia, et extrinseco favore nos justos esse.

VIII. Totam hanc pestem cum veritate Ecclesiæ pugnantem Concilium Tridentinum late condemnavit sessione VI et VII. Nam sessione VI, can. IX: « Si quis, inquit, dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit. » Ecce quomodo exploditur hæresis de eo quod requiritur ex parte nostræ dispositionis. Deinde canone XI: « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit. » Ecce exclusam hæresim de eo quod requiritur ex parte ad nostram justificationem, scilicet, de dono nobis infuso, quod debet esse aliquid habitualiter inhærens nobis.

IX. Deinde vero sessione VII, canone V dicit: « Si quis dixerit sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit: » Et canone VII definitur: « Con-
tineri, et dari gratiam per sacra-

menta : idque ex opere operato. » Ecce ubi confoditur hæresis circa sacramenta, dum negat solum servire ut excitantia fidem, sed ut causantia ipsam gratiam ex opere operato, et non solam fidem.

X. Dicimus ergo de fide esse quod sacramenta causent gratiam, non tamquam conditio, aut excitativum fidei ; tum, quia hoc modo etiam concio, aut imagines, aut sacramenta antiqua, et libri devoti gratiam causarent ; tum, quia sacramenta sunt media, quibus Christus nos renovat, et applicat nobis merita sua, non vero solum fidem excitant ; pleraque enim eorum fidem supponunt, ut scilicet hi qui accedunt ad sacramenta credentes accedant, et cum motu fidei : ergo hæresis ista stulta est. Unde causare debent gratiam sacramenta ut virtus Christi, et ut efficaciam habentia ex illo ; supponunt tamen dispositionem ex parte nostra, et motionem ex parte Dei per Christum infundentis in nobis charitatem et dona quæ inhæreant in anima, et intrinsece ipsam renouent in genere causæ formalis et habitualis. Et hæc quidem pro catholicis sufficiant.

XI. Contra hæreticos autem illud potest texi argumentum : Quia Scriptura designat aliquas actiones, quibus peculiariter gratiæ et salutis acquisitionem tribuit, et infallibilem effectum habendum per illa, ut de baptismo : *Salvos nos fecit per lavacrum*, Tit. iii : *Mundans eam lavacro aquæ*, Ephes. v : de eucharistia : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Joan. vi : item : *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, Joan. xx, et similia multa : ergo cum hoc peculiaribus actionibus tribuatur, et per eas dicatur acquiri ista salus et gratia et remissio, certum esse debet quod non excitatio fidei, quæ multis aliis

modis fieri potest, sed quod istæ actiones speciale aliquid habent ad remissionem peccatorum ; et sic non solum significant aut excitant, sed etiam vim habent ad remissionem.

XII. Circa hanc autem veritatem confirmandam plures adducere auctoritates ex Scriptura et patribus supervacaneum videtur. De his videri possunt Bellarminus libro ii de sacramentis in genere ; Suarez hic ; Cabrera, Nugno, etc.

XIII. Ex his colligitur sacramenta conferre gratiam ex opere operato, non opere operantis solum, quod et definit Tridentinum sess. vii, can. viii, quam locutionem hæretici irrident ; tum, quia vocabula ipsa minus sint elegantia, et grammaticis communia ; tum, quia dicunt sacramenta solum servire ut signa excitantia fidem, mediante qua fide provenit nobis justificatio. Et ideo solum ex opere operantis (id est, fide quæ a nobis operatur) gratiam seu justificationem dari. Qui duo modi conferendi gratiam sic explicari possunt, quod cum gratia conferatur a Deo homini mediante aliqua causa, seu motivo opere, ratione cuius confertur (nec enim aliter datur a Deo) opus istud seu causa ratione cuius datur, vel est opus factum ab ipso cui datur, et sic dicitur opus operantis, et dari dicitur gratia ex opere operantis, id est, ex opere quo disponit se ad gratiam suscipiendam, quia posita dispositione ad aliquam formam, talis forma confertur subjecto : vel opus seu causa ratione cuius gratia datur a Deo non est aliquid factum ab ipso suscipiente gratiam, seu dispositio illius, sed est opus factum et operatum ab alio externe, et quod innititur, seu habet vim ex opere jam facto et operato ab alio (scilicet ex meritis Christi) non autem habet vim ex dispositione subjecti, aut

mediante ipsa Christi applicantur merita, sed mediante aliquo opere externo, ut distinguitur contra propriam dispositionem, et habet vim ex meritis Christi. Et gratia quæ confertur ratione talis operis sic externe facti, et ex meritis Christi dicitur opus operatum ; et hoc ita est causa gratiæ, ut in parvulis non requirat actum aliquem ex parte suscipientis ; in adultis vero requirat actum, quo non ponatur obex gratiæ ; et licet non accedat ad ultimam dispositionem, adhuc tamen per virtutem talis operis operati dabitur gratia ; si vero sit dispositio sufficiens ad gratiam, ultra talem dispositionem, adhuc datur aliqua non correspondens dispositioni, sed operi illi operato et externe applicato. Hoc ergo modo sacramenta dicuntur causare gratiam, quia præter dispositionem, cui correspondet gratia, ipsi ut operi externo correspondet ; et ita ex ipso opere operato dari dicitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIV. Sed objicies primo : Nam ex verbis Scripturæ non colligitur sacramenta esse causas, et habere virtutem ad justificandum, nisi vel excitando fidem, vel mediante ipsa fide : ergo sacramenta non sunt causa gratiæ distincta a fide et excitatione ejus. Antecedens probatur primo, quia sufficienter explicari possunt verba Scripturæ de justificatione sacramentorum, ad eum modum, quo antiqua sacramenta justificabant, id est, quod ad præsentiam illorum Deus justificabat in fide suscipientis : secundo, quia sicut dicitur de sacramentis quod justificent, etiam de verbo Dei et evangelio id dicitur in Scriptura ; nam ipsum evangelium dicitur

Rom. i : *Virtus Dei in salutem omni credenti* ; et tamen non aliter est virtus Dei in salutem, nisi quia excitat et proponit credenda de Deo : ergo similiter sufficienter dicentur sacramenta virtutes Dei ad salutem, quia excitant ad fidem ; si enim hoc sufficit ut dicatur evangelium virtus Dei, cur non etiam ut dicatur sacramentum ?

XV. Confirmatur, nam i Petr. iii dicitur : *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi* : ergo ipsa ablutio carnis non operatur in baptisate salutem, sed fides conscientiæ bonæ ; id enim significari videtur interrogatio conscientiæ in Deum.

XVI. Confirmatur secundo ex Augustino tractatu lxxx in Joannem, ubi explicans illa verba : *Jam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis*, sic dicit : « Quare non ait, mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis ; nisi quia et in aqua verbum mundat, id est, detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua ? » Et infra : « Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur ? » Igitur non ipsa ablutio, nec ipsa aqua operatur salutem et gratiam, sed fides seu ipsum credere. Unde et Augustinus affert in confirmationem suam dictum Apostoli : *Fide purificans corda eorum*, Act. xv, et etiam citatum locum i Petr. iii : « Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio ; hoc est verbum Dei, » inquit Augustinus quo sine dubio consecratur baptismus ut mundare possit.

XVII. Respondetur ad principale argumentum, negando antecedens.

Ad primam probationem antecedentis dicitur, quod in Scriptura ipsis sacramentis nostris attribuitur salus ut causis, quia dicitur per ea, aut eis dari gratiam, sicut dicitur Ephes. v: *Mundans eam lavacro aquæ*: II ad Timoth. I: *Ut resuscites gratiam quæ est in te, per impositionem, etc.* De sacramentis autem antiquis negatur ea justificasse, aut per ipsa acquiri salutem; sed fuisse vacua elementa, et sola signa: dicitur enim quod: *Nihil ad perfectum adduxit lex*, Hebr. vii: ergo si de istis dicitur absolute quod eis justificamur, de illis vero negatur, cum tamen ad præsentiam illorum in fide Christi daretur gratia, aliquid amplius tribuit nostris Scriptura, quam antiquis; et sic facit ipsa causas.

XVIII. Ad secundam probationem dicitur, non eodem modo attribui verbo Dei externo gratiam, sicut sacramentis. Unde respondetur evangelium dici virtutem Dei, non intelligendo per evangelium ipsum verbum excitans nos ad fidem, et proponens illam nobis; sed ipsam legem gratiæ, et spiritum moventem intus cor. Nam si evangelium sumatur solum prout continet documenta fidei, et præcepta ordinantia affectum humanum, sic evangelium non justificat, ut dicit S. Thomas I-2, quæst. cvi, art. II, unde et Augustinus de spiritu et littera, cap. xiv et xvii, exponens illud Apostoli II Corinth. III: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*; per litteram intelligit quamlibet scripturam extra hominem existentem, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in evangelio. Ex quo infert S. Thomas, quod etiam littera evangelii occideret nisi esset intus gratia sanans. Igitur similiter si sacramenta solum essent signa excitantia et proponentia fidem, et carerent virtute sanante, essent tamquam littera occidens. Ut ergo hoc evitemus,

dicendum est, quod evangelium ratione virtutis interioris, et sacramenta ratione virtutis Christi, sunt virtus omni credenti, non autem ratione excitationis ad fidem.

XIX. Secundo dicitur, quod quando dicit Apostolus: *Evangelium esse virtutem Dei*, per ly evangelium intelligit legem evangelicam quæ non excludit, sed includit sacramenta, et ratione sacramentorum, quibus justificat, est etiam virtus Dei omni credenti.

XX. Ad primam confirmationem respondetur sensum Apostoli manifestum videri, quod videlicet baptismus, non secundum quod habet effectum lavandi sordes corporis, sed secundum quod per virtutem resurrectionis Christi operatur, salvat nos, et sic est interrogatio conscientiæ bonæ in Deum, quia cum baptismus sit janua ad vitam, baptizatio ipsa est quædam interrogatio conscientiæ bonæ ad Deum, intendentis ingredi ad Deum per januam baptismi, et sic Deum interrogantis. Itaque juxta hunc sensum optime intelligitur Apostolus, quod qui assumit baptismum non ut sordium corporalium ablutio est, sed ut interrogatio conscientiæ inquirentis Deum ut sibi aperiat, et per illum tamquam per januam ingrediatur ad Deum, sic baptismus salvat nos; id tamen per resurrectionem Christi, unde non negat Apostolus virtutem baptismi ad dandam gratiam.

XXI. Vel secundo alludit Apostolus ad morem Ecclesiæ, quo baptizandum interrogat, num velit renuntiare diabolo, et respondet se velle. Unde baptismus, non ut deponit sordes carnis, sed ut est usus interrogationis ad renuntiandum diabolo, sic salvat nos.

XXII. Ad secundam confirmationem respondetur S. Augustinum eo in loco clare admittere in baptismo virtutem sanctificandi, licet expli-

cet eam non haberi in baptismo ex vi ipsius aquæ, sed ex verbo Dei; non quod excitetur a baptismo, sed quod accedat ad elementum et fiat sacramentum. Unde in ipso elemento, accedente verbo, agnoscit istam sacramentalem virtutem. Quando autem subdit: «Non quia dicitur, sed quia creditur,» ipse se Augustinus exponit, subdens: «Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.» Est ergo sensus, quod ipsum verbum, non secundum eam rationem quo dicitur et profertur (hoc est, secundum sonum) sed secundum eam rationem qua non dicitur nec sentitur, sed tantum creditur (hoc est, secundum virtutem divinam et mysterium fidei) operatur, non tamen excitando fidem, aut mediante actu credendi, sed secundum virtutem quam habet a Deo. Sic etiam intelligit Augustinus S. Thomas supra, quæstione LX, articulo VII.

XXIII. Secundo, obijciunt hæretici plura Scripturæ testimonia, in quibus fidei attribuitur justificatio, ut illud: *Justus ex fide vivit*, Rom. I: item: *Fide purificans corda eorum*, Act. xv: item: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*: Marc. xvi: et illud Rom. III: *Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis*: obijcit etiam Kennitius illud Ephes. v: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*; si ergo mundat baptismus in verbo vitæ, verbum autem vitæ ex fide est, et operatur excitando fidem; igitur baptismus mundans in isto verbo, mundat excitando fidem.

XXIV. Respondetur omnia ista testimonia tripliciter explicari a Concilio Tridentino sessione VI, capite VI: «Fidem dici justificari, quia est radix et fundamentum justificationis. Unde justificat Deus per fidem, non tamquam per totalem causam, sed tamquam per funda-

mentum justitiæ. Alias enim etiam requirit Scriptura effusionem Spiritus sancti in nos et charitatem, sine qua nihil sumus; et opera, sine quibus mortua est in semetipsa,» Jacob. II.

XXV. Secundo, explicantur ista testimonia, quod loquuntur de fide perfecta, et formata charitate; sic enim fides purificat, sic facit justum vivere; nec enim justus vivit per fidem non vivam et sine charitate: *Sine qua* (ut Apostolus ait) *nihil sumus*.

XXVI. Tertio, explicantur ista testimonia de fide, id est, de lege evangelica, quæ dicitur fides Christi. In lege autem evangelica, non solum est præceptum de actu credendi, sed et diligendi, et bene operandi, et sacramenta suscipiendi. Unde quod dicitur per fidem, non excludit alia, quæ aliis locis Scriptura requirit ad justificationem. Ad locum Kennitii respondetur per ly in verbo vitæ, intelligi de verbo dante virtutem aquæ, seu lavacro; quod accedit ad elementum, et fit sacramentum. Hoc autem non est verbum concionatorium et excitativum fidei, sed consecratorium, et virtutem habens ad mundandam animam. Unde verbum concionatorium operatur excitando fidem, verbum autem consecratorium etiam causando gratiam; alias nihil speciale Apostolus diceret de lavacro ad mundandum, quam de aliqua concione, aut imagine, aut sacramentis antiquis.

XXVII. Tertio obijciunt: Sacramenta non possunt causare ex opere operato: ergo non sunt causa gratiæ. Antecedens probatur; tum, quia sacramenta exigunt dispositionem suscipientis, et secundum ejus mensuram gratiam conferunt; si autem ex opere operato conferrent gratiam, non requirent dispositionem, ratione cujus eam conferrent; tum etiam, quia si sic confer-

rent gratiam, possent infantibus sacramenta dari, etiam præter baptismum, et auferent in eis gratiam, quod fieri non videmus.

XXVIII. Confirmatur, nam si ex opere operato conferunt gratiam sacramenta, vel ratione formalis conferunt, vel ratione materialis; non ratione formalis, quia hoc est relatio rationis, id est, significatio, quæ non est aliquid reale; nec ratione materialis; tum, quia aqua sine verbo, ut dicit Augustinus non est nisi aqua, nec causat aliquid spirituale; tum, quia illud materiale est entitas quædam naturalis, cui non convenit per se causare gratiam, quæ est super omnem talem entitatem, et accidit illi elevari ad ordinem supernaturalem: ergo non est per se in sacramentis causare gratiam.

XXIX. Respondetur, quod causalitas ex opere operato non excludit opus operantis ut dispositionem ad gratiam, sed excludit opus operantis ut rationem principalem, et quasi effectivam habendi gratiam; seu excludit opus operantis ut principium a quo habeat vim suam, cum illam habeat ex meritis Christi. Nam etiam ipse Deus, quando causat effective principaliter gratiam, non excludit dispositionem suscipientis, neque agentia naturalia dispositionem materiæ: conferunt ergo ex opere operato, quia tenent se ex parte virtutis Christi conferentis gratiam subjecto disposito. Et etiam, quia conferunt ultra propriam dispositionem, conformiter tamen et proportionaliter ad illam, sed non sine illa: si autem daretur infanti eucharistia, auferet in eo gratiam; quod et aliquando factum est in Ecclesia. Alia vero sacramenta eis dare non expedit, quia requisita ad illa in infantibus non concurrunt.

XXX. Ad confirmationem respon-

detur, quod quando quæritur, an ratione formalis causent sacramenta vel ratione materialis, si ly ratione dicat formalem rationem et causam, nec unum nec alterum est ratio causandi, sed motio divina eis impressa: si autem ly ratione dicat rem assumptam et motam ad causandum, dico esse totum sacramentum (id est, materiale ut subest formali) et sic non sola aqua sine verbo causat, nec entitas naturalis per se causat gratiam, sed per elevationem et motionem; et sic ista est per se: Sacramenta novæ legis causant, quia ly sacramenta novæ legis, non supponunt pro sola entitate materiali sacramenti, sed pro illo materiali ut moto et elevato a Spiritu gratiæ; sicut hæc non est per se: Aqua calefacit, bene tamen hæc est per se: Aqua calida calefacit; et hæc non est per se: Caro sanctificat; hæc tamen est per se: Caro Verbi sanctificat.

XXXI. Quarto objicitur: In sacramentis fides exigitur: ergo magis ipsa justificat quam sacramenta, si quidem similior est et propinquior gratiæ quam sacramenta: imo cum fide sine sacramento salvatur homo, cum sacramento autem sine fide nunquam: ergo magis operatur fides quam sacramentum.

XXXII. Confirmatur, nam solus Deus novit corda hominum, solus Deus est qui dimittit peccata, neque rebus et signis externis gratiam suam obligavit: ergo sacramenta non justificant, sed Deus ad præsentiam illorum.

XXXIII. Confirmatur secundo, nam non est de fide gratiam esse qualitatem inhærentem in anima: ergo neque est de fide causari per sacramenta. Antecedens patet, quia gratiam esse habitum et qualitatem, solum tamquam probabilissima opinio admittitur in Clementina unica de summa Trinitate: ergo.

XXXIV. Respondetur negando consequentiam argumenti; licet enim fides sit similior gratiæ in entitate et spiritualitate, non tamen in motione et causalitate instrumentali a Deo suscepta, quia licet Deus posset assumere fidem ut instrumentum justificandi, sicut sacramenta, placuit tamen illi per humilitatem carnis salvare nos, et ita subiei nos sensibilibus propter ipsum; sicut et carnem sensibilem propter nos sumpsit, non autem angelicam naturam: et anima similior est Angelo in entitate, non tamen unitur ei, sed corpori, cui congruentior est in ratione formæ, quam Angelo.

XXXV. Quod vero dicitur, sacramentum sine fide non causare, bene tamen fidem sine sacramento justificare respondeo, fidem sine sacramento in re vel in voto non justificare, sicut neque fidem sine operibus; sacramentum etiam sine fide, tamquam sine dispositione subjecti non justificat; non tamen hinc sequitur fidem operari justificationem, sed sacramenta disponente fide.

XXXVI. Ad primam confirmationem dicitur, Deum solum justificare et dimittere peccata, ut causa principalis; hinc tamen non excludi humanitatem Christi ut instrumentum conjunctum, et sacramenta ut separatam; neque ideo Deus se alligavit signis externis, quia sine illis si velit justificare potest; ordinavit tamen ut per illa causaret suam gratiam, ut potentiam suam amplius manifestaret in rebus humilibus. Unde per sacramenta homines non abstrahuntur a Deo, ut dicit Calvinus, sed magis ei subduntur, quia rebus et legibus ab eo ordinatis subieimur.

XXXVII. Ad secundam confirmationem respondeo, probare etiam argumentum, quod Deus non causet gratiam, si quidem illa non est qualitas: igitur sicut est de fide gratiam

Dei aliquid esse, quidquid illud sit, et est de fide diffundi et causari a Deo in nobis tamquam semen Dei, sic eodem modo est de fide causari a Deo per sacramenta, quidquid illud sit, quod causat. Secundo tamen dicitur post Concilium Tridentinum de fide esse quod justificamur per aliquid inhærens in anima, ut ex sessione VI, canone XI, supra retulimus.

DUBIUM SECUNDUM.

UTRUM OMNIA SACRAMENTA HABEANT PER SE, SALTEM SECUNDUM RATIONEM GENERICAM, CAUSARE PRIMAM GRATIAM, FACEREQUE EX ATTRITO CONTRITUM?

Conclusio est affirmativa.

XXXVIII. Cujus intelligentia pendet ex duobus. Primum est, quomodo intelligamus primam gratiam, quando dicimus per se conferri ab omnibus sacramentis: secundum est, quomodo intelligatur sacramentum per se causare. Est enim certum apud omnes, sacramenta alia esse vivorum, alia mortuorum, et sacramenta mortuorum dicuntur, quæ secundum peculiarem suam rationem sunt ordinata ad causandam remissionem peccati, et primam gratiam: sacramenta autem vivorum, quæ sunt ordinata ad augendam, vel perficiendam gratiam, et ideo præsupponunt subjectum jam habere gratiam, et consequenter si sacramenta mortuorum applicentur homini existenti in gratia, augebunt, aut perficient in eo gratiam; nec enim frustrabuntur effectu suo: si vero gratiam non inveniunt in subjecto, sed tamen inveniunt dispositionem non resistentem nec ponentem obicem, pro certo habetur conferri illi tunc primam